M0011013: Marcellus: De Medicamentis, 1536: page 125

Publication/Creation

June 1949

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/csdg26qj

License and attribution

Wellcome Library; GB.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

dantur reſoluti iuxta ætatem uel uirtutem infirmi ex aquæ frigidæ cyathis tribus aut duobus. hic paſtillus benefacit & ad dyſentericos & ad torminoſos. Alter paſtillus ad ſanguinis eruptionem mirifice faciens. accipit hæc: tragacanthi ⚹ IX. ſamiæ cretæ ⚹ VII. rutæ ponticæ ⚹ IX. glycyrizæ ſucci ⚹ V. ſymphyti ſucci ⚹ VII. gũmis ⚹ IIII. hypocyſtidos ſucci ⚹ VII. turis ⚹ V. aluminis liquidi ⚹ V. opij ⚹ V. amyli ⚹ VI. myrræ ⚹ V. croci ⚹ VII. plantaginis ſucci ⚹ III. & paſſi myconij quod ſatis erit, tritis diligenter ſupra ſcriptis ſpeciebus miſcebitur. fient paſtilli ad denarios ſingulos & ad ſe miſſes, qui pro ætate aut uiribus infirmi ex aquæ tepidæ cyathis tribus ieiuno dabuntur. Ad reiectionem ſanguinis ex ore manantis ſymphyti radix in uino decocta ſalubriter bibitur. liguſtri quoque ſuccum ieiuno per triduum dato, ſtatim ſubuenies, quæ res & torminoſis & dyſentericis eſt ſalubris. Si ex quocunq; corporis loco ſanguis per abundantiam nimiam exuberet, & fluat, herbæ ſabinæ ſuccus quantus uidebitur, ſiue uiridis, ſiue ſiccæ contritæ, ex uino picato uetere optimo ieiuno per triduum dabitur, ſanabit hæc potio etiam in uitæ diſcrimine conſtitutum. facit autem & ad colicos & ad dyſentericos, quibus tamen decocta datur. Qui ſubito ſanguinis uomitu laborat, coralliũ contuſum & in puluerem redactum ex potione mixta calida bibat. Ad uomitum nimium reprimendum ſulphuris uiui puſillum & ramenti de cornu cerui tantundem, in ouo ſorbili tritum & permixtum bibi utile eſt. His qui cibum non continent, aloes minimum cum frigida aqua potui datum, plurimum prodeſt. Perſonaceæ herbæ radix contuſa adiecto modico ſale & uino ſparſa, & cotidie recens impoſita ſuper tumorem ſtomachi uomicas omnis per ſudorem emanationesq; occultas potenter expurgat. Mandragoræ drach. hyoſcyami tantundem, opopanacis idem, croci ſiculi tantundem, myrræ atque turis ſimiliter, gummis itidem, omnium ſpecierum pares menſuras tere diligẽter & in puluerem tenuiſſimum redige, atq; ex uino uetere collige, paulo craſſius quàm ſpiſſitudo ſit mellis, ex eo medicamento ad menſuram uictoriati, id eſt dimidium drach. dabis ruptum & infirmum ſtomachum habẽti in tribus cyathis aquæ calidæ eunti dormitum, beneficium remedij prima ſtatim potione ſentitur, ſecunda incredibilis profectus eſt, tertia curatio omnis potentiſſime explicatur. Ouum incoctum in calicem defunditur, & teſta eius ſucco marrubij impletur, & in ipſum calicẽ defunditur, & mellis optimi deſpumati tantundem, omnia hæc in ſe permiſcẽtur, ac tepefacta hauriuntur, miro modo uomicas rumpunt, & ad ſanitatem laborantẽ ſtomachum perducunt. In ouo ſorbili cimicem unum contritum ieiunus ignorans qui ſorbeat, deſinet uomere, hoc ſæpe expertum eſt. Compoſitio medicaminis ad arteriam ſanandã ſic. coſti ℈ III. ſpicænardi ℈ III. piperis ℈ III. radicis lappæ maioris, id eſt herbæ perſonaceę ℈ III. hæc omnia ſimul teres & ieiuno in balneo ex uino candido bibenda protinus dabis. Herbæ uettonicæ

Victoriatus dimidium drac.

Mirabile ... / ... ſtiti ...
colicis dyſentericis
lappa maior